

## CAP. XV.

## De notis PARTIS.

SPECIEI, quæ pars est generis, notæ sunt:

1. Nomina substantiva quæ de individuis dicuntur in quæstione quid sit: ut, *Bucephalus fuit equus.*

2. Exempla quævis ad probandam alia quam sententiam allata: ut,

*Sejanus Tiberi, Plautianus Afer Septimii Severi, Raffinus Arcadij, Stilico Honorii infelici fato perierant: At hi fuerunt ambitiosi & alieni imperii affectatores: Ergo ambitiosi & alieni imperii affectatores infelici fato plerunque pereunt.*

3. Particulares collectiones in tertia figura Syllogismorum simplicium seu Categoriorum: ut, *Prudentia versatur circa singularia: Ergo aliqua virtus Intellectus versatur circa singularia.*

4. Quum subiectum vel prædicatum conclusionis dicitur de prædicato assumptionis vel antecedentis in quæstione quid est: ut, *Est homo: Ergo est animal.* Nam animal dicitur de homine in quæstione quid est. Vel clarius, cùm alter terminus thematis probandi dicitur de medio termino in quæstione quid est: ut, *Est animal: quia est homo.*

MEMBRI notæ sunt.

1. Nomina, pars, particula, portio, membrum, caput pro parte libri seu tractatus vel rei alias cuius, articulus itidem pro parte: ut,